

1978

L
1823

Dr. De. U.a. 11

alib. med. H. 16.
~~H.~~ 16. V.



K
On: 9

DISPUTATIO XI.

DE ODORATIONIS, GVSTATIONIS,
ET TACTIONIS DOCTRINA IN IL-
LVSTRI IULIA ANNO A CHRI-
sto Nato M. D. XC. 4. Non. Decem-
bris habita

Præside

IOANNE VVERNERO Medicinæ D.

Respondente

IOANNE STVRMIO Lunæburgensē.



HELMSTADII
Excudebat Jacobus Lucius, Anno
M. D. XC.

AK



NOBILISSIMIS, ORNATISSIMIS, PRAESTANTISSIMISQ;
VIRIS, Dn. GEORGIO MVTZELTIN, Dn.
Nicolao Borcholten, ac Dn. Philippo Kroge-
rio, patriciis Lunæbnrgensibus, Dominis,
fautoribusq; suis summâ obseruan-
tiâ colendis S. D.

Aria in omnibus liberalium artium disciplinis, viri nobilissimi, non nostris hisce solum vltimis ac fatiscentibus deliri ac repuerascentis mundi temporibus jactantur dogmata, variae opiniones ac sententiæ; sed etiam priscis illis, verè aureis, seculis inter viros doctos exstitere. Quod quād verum sit, cum aliæ artes, tum etiam nostra hæc ars Medica luculenter comprobant ac testantur. Videmus enim, ac apud quoslibet ferè autores inter legendum deprehendimus, alterum ab altero in tantum discrepare, ut vix ullus reperiatur, qui alterius obtineat sententiam, nihilq; noui in medium adferat. Necessarium igitur, ac maximè quidem necessarium in aliquâ arte existit, ut non unum aliquem tantummodo authorem summâ cum diligentia perlegamus, perlectum non minori curâ memoriæ, tanquam fidelissimæ rerum depositarum custodi, committamus, commissum, tanquam quiddam ex tripode Apollinis petitum, firmiter apprehenda-

bendamus, nec ab eo, latum, quod aiunt, unguem recedamus, sed
vt ex varijs authoribus, apiculas imitantes, quæ per varios cam-
pos odoriferis floribus depictedos deuolant, nec ex floribus quippiā
nisi sibi idoneum deligunt, verissima queq; quæ ex aliorum col-
latione patefient, seligamus, ac in vsum reponamus, neq; statim
credamus, quæ nobis primo obferuntur intuitu, sed primum, num
firmis nitantur demonstrationibus, consideremus. Rectè igitur,
sapienterq; Galenum summum illum accælitus demissum Medi-
cinæ antistitem fecisse constat, qui de se scriptum reliquit: se nun-
quam inductum fuisse, vt quicquam crederet, nisi ante à idipsum
firmis rationibus demonstratum comprobatumq; fuisse. Cum
verò ad veritatem indagandam disputationum exercitia non
minimum adferant emolumentum, ego quoq; defensionem se-
quentium horum de oratione, gustatione, ac tactione thema-
tū, sub patrocinio clarissimi, doctissimiq; viri Dn. Ioannis Ver-
neri, Medicinæ D. suscipere non erubui. Ea autem vobis, viri
nobilissimi, præstantissimiq; dedico, consecro. Quod nisi facerem
magno profecto me obstringerem scelere, cum non ignorem, quā-
tum tum mihi, tum meis faueatis studijs. Peto autem, vt hoc
qualecunq; munusculum, atq; animi grati indicium, hoc tempo-
re, dum maiora dare nequeam, æquo animo suscipiatis, nec ma-
gnitudinem muneris, sed animum obferentis benè de vobis me-
rendi cupidissimum respiciatis. Valete, meq; meaq; studia eo, quo
soliti estis, amore complecti non de finite. Datæ ex inclytâ
ac celeberrimâ academiâ Iuliâ. 4. Kalend.

Decemb. anno à partu saluti-
fero 1590.

Ioannes Sturmius.

Tesis I.



Mnia, quæ in nobis consistunt, utilitatis nostræ causa à naturâ instituta sunt: quarum una est ad percipiendum, ad fugiendum altera: corpore ergo ac animâ constitutis ad utilitatem utriusq; adiuncti sunt sensus, fine nobiliore, pro parte potiore:

2. Hinc neq; solum, nec primum, ad impendentiam mala fugienda, vitanda, exteriores excubant sensus: sed ut homo, intellectu aucto, opificis optimi maximi fiat similis: est enim intellectus quasi quidam beatitudinis commeatus.

3. Verum age, ad priorum mentem, sequentium occasionem, distinctim hæc simul & semel ponantur: Visio ob animam primò ad *inventionem* communicationem: Odoratio ad medium naturam inter corpus & animam, quæ spiritus est. Gustatio ad corpus intus est: Tactio ad corpus forinsecus.

4. Hinc plenius: Quæ per qualitates sentiuntur, aut intrant corpus, aut non intrant: Et sunt vel propiora, vel remotiora: Propiora ad tactum attinet: Remotiora velex aduerso tantum recipiuntur, veletiam ex auerso, seu obliquo: Remotiora ex aduerso tantum recepta efficiunt visionem: Remotiora ex auerso etiam recepta, seu obliquo auditionem ac odorationem cident.

5. Iam ad odorationem convertamur, quæ ut naturam inter animam ac corpus medium spectat; ita medium inter sensus locum èvλόγως participat.

DE ODORATIONE.

6. Est odoratio animæ sentientis functio, in interiore nasi tunica obita, per vaporem seu halitum, odorem percipiens.

7. Instrumentum ergo odorationis est interior nasi tunica, nervis à tertio pari ortis donata.

8. Erenim eâ parte, quâ à rebus obiectis fit voluptas & dolor, adficitur

adscitur sensus: Verum dictitant experti (quod sapientius ipse mihi visus sum subolsecisse) refragante naribus admotâ, voluptatem in internâ sentiri nasi tunicâ; maleverò eandem adsciri à fætidis. In ipsius ergò nasi tunica instituitur odoratio.

9. Dein: Qualis est ratio in ventriculo & gustatione; talis omnino videtur esse in cerebro & odoratione: At gustatio in ore est veluti exploratrix alimentorum obiectorum: Quid ni ergò natura olfactricem facultatem, odorum exploratricem, extra caluariam reposuisset? An dices potius, ita eam esse reconditam, ut odores noxi os minimè antè sentiat, quam cerebrum læserint? A page isthac.

10. Accedit hoc, quod, cum cerebrum sensus uniuersalis origo sit, singularium (nisi exiguum quendam tactum exceperimus) sensuum particeps esse haud possit.

11. Deniq;: Cur natura, prouida omnium architecta, reliquo rum sensuum exteriorum organa extra caluariam collocasset, sola odorationis instrumentum ipsi indidisset cerebro.

12. Minimè ergò nobis sententia Galeni, (quid tandem obstat ingenue hæc dici?) odorationem in primis cerebri fieri ventricu lis, demonstratione nullâ suffulta, probari poterit.

13. Quid? Dicas, Sophisticè? minimè. Videantur rationes Galeni: (quem ut aliâs, pro veritate ut plurimum stantem, ab aliorum iniurijs, protenuitate nostrâ, vindicare solemus; sic deuiantem non accipere haud erubescimus) Dicit, hanc tunicam cum palato & lingua eandem esse: Ergò odorationis instrumentum esse non posse. Verum sit eadem tunica maximè, nil tamen obstat, quin & diuersa temperamenta, & distinctim in eam sparsi neruuli, alia, hanc possint inducere varietatem.

14. Addit, nec insignes adeò, nec multos eò transmitti neruulos: fatemur, ac indè imperfectionem hunc esse sensum.

15. Porrò: non olfacimus, nisi inspirantes: Benè, quia halitus, veluti suctione, trahuntur intus: odorationis quippè instrumen

tum non exteriorem superficiem, sed interiorem seu profundiorum tunicae diximus partem. Hinc fit, ut cum colla sint obstructa, priu- mur odoratione, quamuis haec ante illa sit; impeditur nempe inspiratio cerebri, quâ impeditâ vix attrahuntur halitus odoriferi.

16. Dein: pro sensuum similitudine instrumentum unumquodq. paratum esse debere: At vaporibus cum tunica hac nullam esse si- militudinem. Esto: At, quæ, quæso, cerebro, frigido & humido, cum vaporibus seu halitibus similitudo?

17. Deniqz: si processus isti interioris cerebri supra nares instar mammillarum efformati, vel geminae istæ propagines in os n̄o modi sparsæ, ut Vesalius contendit, odorationis sunt instrumenta, quid naribus obstructis odores percipere prohibebit, cum halitus palato attractus per patentem interni oris meatum odores ad organa dicta aduehere possit?

18. Hæc veritatis amore, tantorum virorum pace. Rectè Galenius: se nunquam in totâ vitâ inductum fuisse, sine demonstratione ut crederet. Quis credet, eum solâ sententiæ suæ probabilitate ad credendum nos cogere velle?

19. Obiectum ergò odorationis odor est. Est odor qualitas è sicci copiosioris cum humido sapido halituoſoḡ commixtione, calore mediante, orta.

20. Recipiens ergò odoris subiectum πνευματώδης à ab omniā, hoc est, spirabilis quidam halitus est, natura quedam tenuis, inter aërem & aquam media: non, ut voluit Aristoteles, aëris, vel aqua.

21. E ratione ergò inter odorem & saporem relatio est: omne quippe sapidum, odoratum est, insipidum inodorum: Di- stinctio etiam hæc est: In odore siccii, in sapore humidi pre- dominium.

22. Humidum hoc cum siccō quō melius fuerit permistum, eō fra- grantior erit odor, quō minus, eō peior.

23. Forma igitur odoris ipsa mistio est.

24. Causa efficiens vel interna est, vel externa.

Inter-

25. Interna est ipse calor intus siccum cum humido sapido mouet,
agitans ac subigens: haecq; nunquam abesse potest.

26. Externa est, que odorem quasi delitescentem incitat ac
prouocat. Et est duplex: vel enim hoc peragit aquæ, vel ex aquæ. An-
quæ Solis agit calor: ex aquæ odores prouocant confricationes.

27. Toto errant cœlo Physici recentiores, qui odorem ab exusti-
one vel adustione, ut potiore causâ, putant prouenire. Gummi
enim & lachrymæ odoratae, si exurantur, odorem spirant nullum:
neq; ligna penitus inodora sunt, cinis & carbo olenit nihil:
nec viceversâ, si inodori lapides vrantnr, ullus comparabitur il-
lis odor. Rectè enim Aristoteles libro de sensu & sensilibus,
ea odoribus prædicta contendens, que ἔγχυμον habeant υγεον,
ita concludit: ὅσφραντον γδ ταλυντὸν ηρυπτικὸν ἔγχυμος ξηράτην. Et mox: οὐδὲ χαλκὸς ησίδην οσμῶδη, οὐδὲ δὲ σκυλωθῆτο υγεόν.
οσμόπηρος δι σκωεῖας γίνονται πάντων.

28. Neg; porro verum illud est: odorem bonum tenuitatem
sequi: si enim esset verum maiorem tenuitatem maior utiq; seque-
retur odor. Multis hoc falsum modis..

29. Falsum & illud est: hominem solum odoribus delectari:
ceruum enim est, Pantheræ odore bestias duci, capi. Dein ani-
malia malis odoribus, non ijsdem omnia, sed alijs alia fugantur.
Sulphure muscæ, galbano serpentes, vugulæ mulinæ nidore mu-
res. Vnde ex aduersorum naturâ hoc in Naturâ esse videtur, animalia
quædā odoris deliciis capi oportere. Sic apes videoas quosdā aspernari
quosdam eligere flores. Quin & seminaria quædam ante dedimus mo-
rum ac cognitionis.

30. Non minus falsum illud est, odoratione & corpori & animæ cō-
munem esse: quippe si anima odoratur, etiam gustat: At gustus ob alimē
sum est: Ergo alitur anima: Ergo senescit: Ergo interit. Amplius, ne
corpus quidem alitur odoratis, quatenus odorata sunt. Ulterius ne sa-
pidis quidem, quatenus sapida sunt, sed quatenus substantia in substâ-
tiam alendi mutabilis.

31. Hinc fabula illa Pliniana, τιμονιον illam gentem Indicam solis
A 4 nutriri:

*nutriri odoribus, patescit, quippè solida hominum membra solidum
requirunt alimentum, alias tam ab internis, quam externis causis
tabescere ac consumentur. Rectè quare Aristoteles: ἔντα ζῶα τῆς
δομῆς τρέφεται σὺν ἐστιν εὐλογον. Πρῶτον μὴν γὰρ ὁρμητική τροφὴν δεῖ
εἰναι σωθεῖν, καὶ γὰρ τρεφόμενα ἀπλά εἰσι.*

32. Neg, tamen, hæc dum dicimus, odores spiritus reficere ac re-
creare negamus. At hæc refectio seu recreatio vera non est nutritio:
*Quod si esset, spiritus idem manerent numero: At spiritus ex alijs assu-
tis continuè oriuntur, sex rerum non naturalium vicet inueniè occidūt.*

33. Hoc ergò ratum firmumq; sit, cum corporis vires à spiritu,
veluti proximo animæ sint instrumento, eundem, dempta nu-
tritione verâ, subinde recreatum diutius corporis ac animæ
seruare unionem: quippè symbolum habentibus facilis mutu-
usq; est transitus.

DE GVSTATIONE.

34. *Animal conseruari debere εὐλογον εσι: Conseruatur autem per
nutritionem. Nutritio fit è simili. Similitudo substantiarum non, ni-
si medio ipsorum accidentium, cognoscitur. Ob id natura sapore
instituit (sunt enim quasi quedam vestigia complexionum) ut eis
mediantibus cognosceret animal, quæ in substantiâ similia, dissimili-
aque existerent. Hos ipsos subiecit gustationi.*

35. *Est gustatio animæ sentientis functio, lingua sapores per-
cipiens.*

36. *Organa eius vel sunt primaria, vel primario ministrant.
Primarium lingua est. Primario ministrant, nenuis instar retis
super linguæ carmen extensus, ac faucium glandula.*

37. *Gustus cum tactu quodam est: sapidum enim in humido
est, humidum autem iudicat tactus. Quare medio extrinseco, ut
alijs sensus, minimè habuit opus.*

38. *Obiectum gustationis sapor est. Est sapor, Aristotele definiēte:
τὸ γεύε-*

τὸ γενόμενον τὸ τῷ ξηρῷ πάθος ἐν τῷ υγρῷ τῷ γενέσεως τῷ κατὰ
διώσαντι αὐτούς εἰς τὸν ξηρόν. Νομίζεται η σαπορική οὐσία τῆς θερμότητος
καὶ οὐσία της φύσεως της θερμότητος της ζωής.

39. Causa efficiens procreans saporis calor est humidum cum
sicco mouens, agitans, ac permiscens. causa adiuuans saliuosa lin-
guæ ac palati est humiditas. Rectè quare Galenus 7. de Hipp. & Plat:
decret. Si a refacta nimium lingua sit, corrumpitur sapor.

40. In omni ergo re sapida, etiam siccissimâ, puta pipere, hu-
midum est, ut maximè ob magnam siccitatem non sentiatur eur-
denter: hoc ab humiditate saliuosâ adiutum, & quasi excitatum,
euocatumq; sapore linguam afficit. Quocirca à nobis saliuia non ab-
solutè ad gustandum, sed ad sicciora degustanda in lingua & palato
videtur statuta.

DE TACTIONE.

41. Tactio est animæ sentientis actio, cùte neruosa tactiles ap-
prehendens qualitates,

42. Instrumentum ergo eius cutis est neruosa per uniuersum
corpus sparsa, hoc est, substantia alba, sensu prædita, è neruorum
filamentis, venis, & arterijs constata.

43. Ut gustum humiditas, sic tactio rem renis adiuuat.

44. Medium eius caro est.

45. Tactionis sensus unus est, non plures: commune enim tactus
objecrum qualitas est, proximè sequens corpus, quatenus corpus est.

προβλήματα.

I.

Homo, ut sapientiâ maximè; ita ijs sensibus,
qui in brutis vigent, valet minimè: nec tantum
à perfectioribus, sed & ab imperfectioribus vinci
tur

A 5

tur animalculis. Ita quam acutissimè quam remo-
tissima cernit Aquila; Vultur quam maximè di-
stantia capit odoratu; Vulpium laus est auditio;
Canum & hæc, & illa; Gallinæ creduntur ac vi-
dentur gustatione præ aliis pollere. Hæc animal-
culis hisce sensuū perfectio, ob quærendū victū,
danda erat: homini manus ac mens præstitere.

III.

Vt homo ab animantibus, quatuor sensibus
exterioribus superatur, sic idē homo eadē animā-
tia iisdem exterioribus superat sensibus. Quid?
Sophistam me agere aī? nihil minus: Iam, scio
proteruiam tuam castigabis. Dico: celeritatis &
receptionis ἐξοχῆ hominē ab animantibus vinci:
vicissim, animantia ab homine iudicio lōgè pro-
fiteor vinci: vtraq; ergò vincūt & vincuntur; non
tamen eadem est victoria.

III.

Homo cum ad beatitudinem sit creatus, ad
eam vires illi adiecit natura. Idcircò sensus qua-
tuor exteiiores ei dedit mediocres. Tactum verò
dedit certissimum, perfectissimum: quippè
nudum imparatumq; maximè oportuit tactione
cognoscere & præcauere.

Impro-

ibidem quodammodo p. 303. **III.**

Improbum argumentū est: Homo, quia molis, optimè sentit præ cæteris animātibus: Ergò pueri, quia moliores, melius sentiunt: Scilicet. Hominis mollitia recessus est ab intemperie brutorum ad mediocritatem; puerorum humiditas est excessus ab illâ mediocritate, ad quam per ætatem ducendi sunt.

V.

In ore feré omnium est, tactione cognosci grauitatem & leuitatem. Nos tactione motum deprehendi fatemur, grauitatem negamus. Probamus: Grauitas est obiectum facultatis motuæ, huic competit actio: At tactus non fit, nisi patiendo. Deinde: Grauitas est qualitas, quâ deorsum mouetur mobile: At id, quod intelligitur per SVS & DE, nullo tactu potest deprehendi. Nam si tactus visu careat vel comite vel duce, vtiq; nesciet, quorū res mota mouatur. Pendeat homo cæcus natus, in manu saxum tenens, non versus pedes verget pondus, sed caput versus. Putabit ergò leuem lapidem, quia, cum staret, graue illud vergebant pedes versus. Grauitas ergo à motuā potestate, non à tactu percipit.

percipitur. Porro, ponas; à tactu comprehendи
grauitatem, quōam modo percipies leue? Adde,
Brachium cum suo pondere deorsum fertur,
graue sentitur, at nihil tangit. Deniq;, si gra-
uitas est obiectum tactus, quia descendit, sensi-
le commune est; nātūra & oculus videt descen-
sionem.

VI.

Oὐ, πατὴ τὸ μαρτύριον, ἀλλὰ πατὴ τὸ θεωρῆν, εἰς τὸ αὐτόν οὐδέποτε.
hoc est, Sentire non est, veluti discere, sed velu-
ti ipsum speculari.



78L 1823

ULB Halle
004 592 395

3



f

56.





Farbkarte #13

B.I.G.	Black	White	3/Color	Black
Centimetres	1	2	3	4
Inches	1	2	3	4
8	17	18	19	
7	16	17	18	
6	15	16	17	
5	14	15	16	
4	13	14	15	
3	12	13	14	
2	11	12	13	
1	10	11	12	
	9	10	11	

DISPUTATIO XI.
DE ODO R A-
TIONIS, GVSTATIONIS,
ET TACTIONIS DOCTRINA IN IL-
LVSTRI IULIA ANNO A CHRI-
sto Nato M.D. XC.4. Non. Decem-
bris habita

Præside
IOANNE VVERNERO Medicinæ D.
Respondente
IOANNE STVRMIO Lunæburgens.



HELMSTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XC.

Ph: 9

Ak